



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conversio Peccatoris, Seu Modus quo Peccator communiter resurgit ad justitiam.**

**Lefelon, Antoine**

**Bruxellis, 1675**

§. 2. Paucos quosdam Deus extraordinario modo praevenit.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9433**

santi. Nisi enim paratus esset, non hortaretur ad petendum: si tamen, quidquid dare paratus est, citò & leviter petenti concederet; pauperis Viduæ, & importuni Amici Parabolis non indiceret nobis orationis instantiam & perseverantiam. Peccator verò adhuc pravis concupiscentiis deditus conversionem suam aut non appetit, aut non nisi infirmo desiderio, ac per hoc necessarium ad illam Dei adjutorium, in ejus bonitate petentibus præparatum, aut non petit, aut non nisi imperfectè; ut jam mirum minimè sit, magnum illud poenitentiae ac conversionis donum non citò aut facilè ei concedi.

§. II.

*Paucos quosdam Deus extraordinario modo prævenit.*

**S**ubindè quidem peccatoris inquisitionem prævenit Deus, & mirabili gratiæ suæ operatione bonam voluntatem, quâ debitè convertatur, non expectatâ profectuum morâ, simul & donat & perficit. Hoc in Matthæo, Latrone, Paulo actum miramur: sed id superabundantis gratiæ est, paucis datæ, quæ nisi  
le-

legitimè probetur, data non supponitur.

L. 2. de Multò verò, uti id notat S. Prosper, cre-  
voc. gent. c. brior, multòque numerosior pars illa hominum  
 est, cui particulatim, quidquid suprema largi-  
 tas donat, accrescit, ut conferendorum munerum

causa de his que sunt collata patiantur. Ut ete-  
 nim ex parvis seminum initiis, ordinatis  
 augmentis ad debitam mensuram plantæ,  
 arboresquè succrescunt, sic regulariter  
 & animæ requisitam justitiæ perfectio-  
 nem adipiscuntur. Propter hoc uti anno-  
 târunt SS. Patres Basilius, Cyrillus Alex.  
 & Gregorius, hinc à Salvatore adhibita  
 est similitudo: Sic enim, inquit, regnum

Marci 4. v.  
 26. 27. 28.

Dei, quemadmodum si homo jaciât sementem in  
 terram, & dormiat, & exurgat nocte & die,  
 & semen germinet, & increseat, dum nescit  
 ille: ultrò enim terra fructificat; PRIMUM  
 HERBAM, DEINDE SPICAM, DEINDE  
 PLENUM FRUMENTUM IN SPICA.

Aversum à se peccatorem Deus præ-  
 occupat, & gratiæ suæ munere inchoat  
 in illo exordium bonæ voluntatis, ut qui  
 prius mundi hujus torrentibus omni avi-  
 ditate inhians, aureo Babylonis calice to-  
 tus delectabatur; incipiat nunc vel primo-  
 ribus labris aliquid de justitiæ fonte gu-  
 stare: quo percepto grata fit illi ejus re-  
 ctitudo, præsertim quam conspicit aut  
 credit

credit in aliis : tum deindè in se reversus  
 tortitudinem suam quâ ab illa distat , vi-  
 det & improbat. Hæc divini seminis cæ-  
 litùs cordi ejus immissi prima pullulatio  
 est , quæ magis proficit , cùm accedenti-  
 bus timoris, pudoris, ac remordentis con-  
 scientiæ stimulis , peccator cupiditatibus  
 suis jam tentat velle resistere : sed in  
 principio tentat tantùm , parvum enim  
 tum plerumque atque invalidum est vel-  
 le , cui adhuc vetusta prævalet cupiditas,  
 cui tamen magis ac magis repugnando  
 tantum decedit , quantum paulatim pro-  
 ficiendo bonæ voluntati accedit : ac tan-  
 dem istis incrementis tantâ hæc fit , ut  
 ruptis peccati vinculis, præ omnibus Deo  
 mentem faciat inhærere ; hoc est debite  
 converti.

§. III.

*Communiter non unius momenti opus est, aut  
 levis laboris conversio peccatoris, præcipue  
 inveterati.*

**A**D hunc autem gradum quamvis alii  
 tardius, alii citius ascendant, com-  
 muniter tamen non unius momenti opus  
 est aut levis laboris eundem comprehen-  
 dere. Quantum satis est, id hæcenus mon-  
 stravi,